

1.14.4

*Idem AA. ad Volusianum pp.*

Digna vox maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri: adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas. et re vera maius imperio est submittere legibus principatum, et oraculo praesentis edicti quod nobis licere non patimur indicamus.

*D. III id. Iun. Ravennae Florentio et Dionysio cons.* [a. 429]

1.14.5

*Idem AA. Florentio pp.*

Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem: nec poenas insertas legibus evitabit, qui se contra iuris sententiam scaeva praerogativa verborum fraudulenter excusat, nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.

1 ¶ Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legis latori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cetera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere: hoc est ut ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legis lator fieri prohibuerit tantum nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est. sed et si quid fuerit subsecutum ex eo vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse praecipimus.

2 ¶ Secundum praedictam itaque regulam, quam ubique servari factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem eiusmodi tenere nec mandatum ullius esse momenti nec sacramentum admitti.

*D. VII id. April. Constantinopoli Theodosio A. XVII et Festo cons.* [a. 439]

1.14.6

*Idem AA. Florentio pp.*

Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri.

*D. k. Aug. Theodosio A. XVII et Festo cons.* [a. 439]